

numquam scierim, sive quam sic oblitus fuerim, ut me nec oblitum esse meminerim? Nonne ipsa est beata vita, quam omnes volunt, et omnino, qui nolit eam, nemo est? Ubi noverunt eam, quod sic volunt eam? Ubi viderunt, ut amarent eam? Nimirum habemus eam, nescio quomodo. Et est alius quidam modus, quo quisque, cum habet eam, tunc beatus est. Et sunt qui spe beati sunt. Inferiore modo isti habent eam, quam illi, qui jam re ipsa beati sunt; sed tamen meliores quam illi, qui nec re, nec spe beati sunt; qui tamen etiam ipsi, nisi aliquo modo haberent eam, non ita vellent beati esse, quod eos velle certissimum est. Nescio quomodo noverunt eam; ideoque habent eam in nescio qua notitia de qua satago, utrum in memoria sit; quia si ibi est, jam beati fuimus aliquando. Utrum singillatim omnes, an in illo homine, qui primus peccavit, in quo et omnes mortui sumus, et de quo omnes cum miseria nati sumus, non quaero nunc, sed quaero, utrum in memoria sit beata vita. Neque enim amaremus eam, nisi nossemus. Audimus nomen hoc, et rem ipsam omnes nos adpetere fatemur; non enim sono delectamur. Nam hoc cum Latine audit Graecus, non delectatur, quia ignorat, quid dictum sit; nos autem delectamur, sicut etiam ille, si Graece hoc audierit; quoniam res ipsa nec Graeca, nec Latina est, cui adipiscendae Graeci Latiniue inbiant, caeterarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus, quia una voce, si interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa, cujus hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

CAP. XXI. QUO MODO BEATA VITA CONTINETUR MEMORIA.

Numquid ita, ut meminit Carthaginem, qui vidit? Non. Vita enim beata non videtur oculis, quia non est corpus. Numquid sicut meminimus numeros? Non. Hos enim qui habet in notitia, non adhuc quaerit adipisci; vitam vero